

postquam me aspexere ancillae advenisse, ilico omnes simul  
laetae exclamant "venit", id quod me repente aspexerant.  
sed continuo voltum earum sensi inmutari omnium,

370 quia tam incommode illic fors obtulerat adventum meum. 10

una illarum interea propere praecucurrit nuntians  
me venisse : ego ei(u)s videndi cupidu' recta consequor.  
postquam intro adveni, extemplo eiu' morbum cognovi  
miser ;

nam neque ut celari posset tempu' spatium ullum dabat

375 neque voce alia ac res monebat ipsa poterat conqueri. 15

postquam aspexi, "o facinus indignum" inquam et corripui  
ilico

me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.

mater consequitur : iam ut limen exirem, ad genua accidit

lacrumans misera : miseritumst. profecto hoc sic est, ut  
puto :

380 omnibu' nobis ut res dant sese ita magni atque humiles 20  
sumus.

hanc habere orationem mecum principio institit :

"o mi Pamphile, abs te quam ob rem haec abierit causam  
vides ;

nam vitiumst oblatum virgini olim a nescioquo improbo.

nunc huc confugit te atque alios partum ut celaret suom."

385 sed quom orata huius reminiscor nequeo quin lacrumem 25  
miser.

"quaeque fors fortunast" inquit "nobis quae te hodie ob-  
tulit,

per eam te obsecramus ambae, si ius si fas est, uti

advorsa eiu' per te tecta tacitaeque apud omnis sient.